

Latein-Buchtipps

10. Juli 2010, 8:00 Uhr

Exitus Imperii Romani cultusque et humanitatis finis

Bryan Ward Perkins: "Der Untergang des römischen Reiches und das Ende der Zivilisation" Theiss Verlag Stuttgart

Recensuit: Dr. Heinrich Fliedner

Sunt rerum scriptores, qui affirmant imperium Romanum sensim transformatum esse in nova regna. Cui opinioni hoc libro obsistitur. Ex fontibus scriptis apparet finem imperii bellis et caedibus coniunctum fuisse. Ex documentis archaeologicis videri potest commeatum, quo per saecula tertium et quartum adhuc per totum imperium merces commutabantur, plane corruisse.

Qua re fabricae, e quibus res in regiones longinquas mitti solebant, extinctae sunt, opes incolarum imminutae. Quo facto commoditates vitae desierunt, quae pecunia deficiente non iam comparari potuerunt. Id ex ecclesiis quoque illis temporibus exstructis apparet, quae aliquantum minores sunt quam illae saeculorum et priorum et posteriorum. Scripturae notitia recessit.

Multa alia afferuntur et disputatur, qua ratione interpretationes antiquitatis posterioris pendeant de rebus gestis saeculi proximi. Plura si vis cognoscere librum ipsum inspicias oportet.

Ward-Perkins, Bryan.: "Der Untergang des Römischen Reiches und das Ende der Zivilisation." Theiss Verlag Stuttgart. 29.90 Euro

[Der Untergang des römischen Reiches und das Ende der Zivilisation](#) ➔

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/buchtipps/latein/wardperkinsuntergangroemischesreich102.html>